



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacerdotale Ad consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ
aliarumque ecclesiarum ex Apostolic[a]e bibliothec[a]e ac
Sanctorum Patrum iurium sanctionibus, &
ecclesiasticorum doctorum scriptis ...**

Venetiis, 1579

Minister huius sacrame[n]ti q[ui]s sit. c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40307

De sacramento extreme vnctionis

Et tale oleum vocatur Oleum infirmorum, non cathecumenorum. Unde diligenter aduertat sacerdos, ne vnum pro alio ministret: de Sacra vnct. c. Vnctio. Et si errore hoc fecerit, debet caute suppleri per sacerdotem. de Sacramentis iterandis vel non. cap. 1. in fine.

Forma huius sacramenti, que sit. Cap. 3.

Forma huius sacramenti sunt verba, que profert sacerdos quando inungit infirmum. s. Per istam vnctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, per auditum &c. Et licet varie sint forme huius sacramenti, tamen melius est vti forma S. Roma. Ecclesie, que est mater et magistra aliarum ecclesiarum. **Ex concilio Florentino.** Forma sacramenti extreme vnctionis hec est. Per istam vnctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi deus quicquid deliquisti per visum, **similiter in alijs membris**

Minister huius sacramenti quis sit. Cap. 4.

Minister huius sacramenti est solus Sacerdos, et non alius. Quod patet in predicta auctoritate sancti Jacobi. cap. 5. vbi ait. Inducat presbyteros et c. 2. dist. 5. Sed queritur, et cap. sequen. Nec est de necessitate, quod sint plures sacerdotes presentes. sed vnus solus cum clerico potest sacramentum conferre. De verbo. signifi. ca. que sunt. Si tamen sint plures sacerdotes melius est. Et ille qui inungit, debet dicere verba, et ceteri respondere, et assistere, et pro infirmo orare.

De effectibus huius sacramenti. Cap. 5.

Effectus huius sacramenti est multiplex. **Primus** est consolidatio spiritualis debilitatis per peccatum inducte. Dicit enim S. Tho. q. talis vnctio dicitur que datur spirituali sanatio, quia datur contra quandam inhabilitatem, vel ineptitudines, que in nobis remanserunt ex peccato actuali, vel originali: vel venialium peccatorum remissio. **Secundus** effectus est sanitas corporalis, si diuina sapientia id noverit infirmo vtiliter expedire. **Tertius** est: quia per istud sacm remittuntur peccata venialia et mortalia, que ignorat: vt in eadem auctoritate beati Jacobi. Et si in peccatis fuerit dimittentur ei. Jacob. 5. c. **Quartus** est diminutio pene peccati mortali debite. **Quintus** est gratie augmentum, que in hoc sacro confertur et augetur.